Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 153
Quelle:
Copyright:

uti et operis forma ſequacem habuit *Job. Marcheſinum* famoſi *Mammetracti* compilatorem.

II. *fol.* 81. absque titulo ſequitur Expoſitio *Hymnorum* in officio eccleſiaſtico decantari ſolitorum. Initium Praeloquii: *Liber iſte dicitur hymnorum. hymnus eſt laus dei cum cantico facta. Quatuor fuere principales actores qui hymnos compoſuere. Gregorius. Prudencius. Ambroſius. Sedulius. ſed quidam uir prudens nomine hilarius uidens eos multos compoſuiſſe hymnos. placuit ei multos in unum colligere et compendioſum opus facere* &c. Bona Commentatoris pace *Hilarius* iſte, Epiſcopus videlicet *Pictav.* neque collegit unquam *Hymnos*, neque *Gregorii* ſaltem et *Sedulii* colligere potuit, quos multum aetate praeceſſit. Vide, ſi lubet, *Hiſt. Liter. Franc.* T. I. P. 2. p. 180. et Celſ. *Gerberti* T. I. *de Cantu et Muſ. ſacra* p. 80. Opuſculum noſtrum in rudioris Cleri adjumentum Sec. XV. non ſemel typis prodiit, inſcriptum *Expoſitio himnorum cum notabili Commento.* Ita mihi objacet Editio *Quenteliana Colon.* 1492. 4. Verum Librarius noſter laborem in *Hymno II. de Dedicatione Eccleſiae* abrupit his verbis: *qui cottidie ſpeculantur gaudium eterni et ſanctiſſimi regis. in utroque in duabus partibus gloria* —. *Hymnis* hiſce, earumque *Expoſitioni* emendandae ſub renaſcentium Literarum diluculum manus admovere Noſtrates ſtrenui *Jac. Wimpbelingius* et *Henr. Bebelius.*

III. *fol.* 105. *Incipit Liber differenciarum yſidori ſpalenſis epiſcopi.* Initium: *Inter deum et dominum ita quidam diffinierunt, ut in dei appellatione patrem, in domini filium intelligerent.* In edit. *Pariſ.* 1601. Liber iſte p. 291. *Secundus* inſcribitur *de Differentiis* cum addito *ſpiritualibus*, ſed ad ejus calcem in *Cod.* legitur: *Explicit. Liber. Primus. et* mox: *Incipit Liber Secundus differentiarum yſidori.* Hic porro *Liber* non eſt ille, qui in Edit. memorata p. 281. *de Differentiis Primus* praenotatur, ſed ille, quem in Edit. *Madritana* anni 1599. repertum *Pariſinus* Editor *Jac. Du Breul p.* tandem 741. ſequi juſſit. Praeit illum idem, quod in Edit. Praeloquium: *Yſidorus. Lectori ſalutem. Plerique ueterum ſermonum differencias* &c. ſed in ipſis *Differentiis* nullus ordo alphabeticus obſervatur, primaque eſt *inter Celum. etherem et etheram.* Adſunt praeterea variae, quae in Edit. deſiderantur, ut *fol.* 135. *Inter ſompnum et ſoporem*, quin ipſa *Differentia ult.* quam adſcribo: *Inter uenenatum, uenenoſum et uenenarium. Venenata res eſt. in quam coniectum eſt uenenum ut potio. Venenoſa in qua natum eſt. ut herba et ſerpens. Venenaria que facit uenenum ut mulier.* In utroque denique Libro non pauca ab Editis variant, Codicemque ad reſtituendum *Iſidorum* genuinum commendant.

IV. *fol.* 136. *Liber ſynonimorum*, a ſecunda manu: *Yſidori vt videtur.* Certe non illorum